



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 70. An etiam prohibitæ promissio de beneficio aliquo vacaturo in genere sub hac verborum forma: conseram, cùm potuero, vel ubi occasio se obtulerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Porro hæc prohibitio promissionis beneficii vacaturi solum respicit Episcopos aliosque Prælatos Papæ inferiores, (& inter hos quoque Legatum de latere juxta *c. dilectus filius. de præb.*) utpote non valentes dispensare in jure communi; & non ad Papam; quin is necessitate vel publica utilitate urgente, aut alia justa de causa promittere possit beneficium vacaturum; cum sit supra jus positivum humanum, ut dictum *q. præced.* Fagn. *in cit. c. nulla. h. t. num. 82.* Neque etiam contra hanc Pontificis potestatem objici potest, quod talis promissio, utpote involvens votum captandæ mortis, repugnet juri naturali & divino; cum tale votum non involvat formaliter aut casualiter, sed solum occasionaliter; ut cum Jo. And. *in c. proposuit. h. t. num. 4. v. vacaturæ.* Pirh. *h. t. num. 5.* & cum Fagn. *loc. cit. n. 15.* Reiffenst. *h. t. n. 43.* Fuisseque tales promissiones de vacaturis factas à Pontificibus constat ex *c. ne captanda. & c. auctoritate. h. t. in 6.* quamvis post Tridentinum eas factas notet Gonz. *ad Reg. 8. Cancell. §. 1. proam. num. 60.*

Quæst. 70. Num ergo etiam prohibita promissio de aliquo beneficio vacaturo in genere, sub hac verborum forma: conferam, cum potuero; vel cum occasio se obtulerit?

REsp. Tametsi valuerit jure antiquo juxta *c. accedens. h. t.* & Gl. *ibid. v. in casu*, quod ipsum pluribus ostendit Pirh. *h. t. à num. 10.* modò tamen ea non obligat vi juris recentioris, nimirum *s. detestanda. h. t. in 6.* per quod ob plurima incommoda & gravamina inde sequentia, de quibus citatum Cap. expresse, revocatur, & omnes omnino promissiones, tam sub prædicta, quam sub alia quacunque forma conceptæ, per quas directè vel indirectè aperiri via valeat ad beneficia vacatura, auctoritate Apostolica penitus reprobantur & cassantur, nullumque per tales promissiones obligari decernitur. Vide Fagn. *l. c.* Pirh. *h. t. num. 13.* Non tamen per hanc constitutionem prohibitum, fieri promissionem de præbenda recepto in Canonicum, si fiat sub dicta verborum forma: cum primùm fieri poterit, vel facultas se obtulerit; secus, si fiat simpliciter: *cum vacabit*, ait Pirh. *cit. num. 13. in fine*, cum Gl. *in cit. c. detestanda. v. indirectè.*

Quæst. 71. Quid ergo statuendum circa expectativas?

REsp. Expectativa, de quibus agit *c. proposuit. h. t.* & *toro cit. eod. in 6.* & *Clem. unic. eod.* statuuntur ferè sequentia, de quibus egi *in for. benef. p. 2. à quæst. 628. ad qu. 639.* Quòd sint literæ Apostolicæ, in quibus mandatur locorum Ordinariis, huic vel illi clerico provideri de beneficio proximè vacaturo. Azor. *p. 2. l. 6. c. 32. quæst. 1.* Occasionem iis dedit, quòd olim Episcopi quidam abutentes potestate conferendi beneficia, præferrent indignis dignis, vel promotos, præsertim à se ad Ordines, repellerent à beneficiis. Unde Pontifices Ordinariis præcipere ceperunt, ut idoneis, præsertim ordinatis à se sine beneficio; quin & certo alicui à se nominato ob insignem vitæ integritatem & literaturam, vel ob collatum aliquod in ecclesiam meritum de beneficio providerent. Azor. *loc. cit.* Earum usus verisimiliter

R. P. Lour. Jur. Can. Lib. III.

non fuit ante annum 1150. Azor. *loc. cit.* cepit circa tempora Alexand. III. qui anno 1198. iniit Pontificatum. Lotter. *de re beneficiar. in apparat. num. 14.* Invaluit sub Innoc. IV. qui creatus Papa anno 1244. usque adeò, ut diversæ expectativarum formulae conceptæ fuerint. Campeg. *tr. de reservat. benef. num. 10.* Continuatus ferè ad Tridentinum usque, ut constat ex literis decretalibus sub *tit. de rescript. de præb. de concess. præbend.* Sublatu de in Germania per *Concord. German.* facta Ordinariis collatoribus à Papæ promissione de non gravando illos in alternis mensibus quò ad beneficiorum collationem. Ac demum generaliter à Trident. *Sess. 24. c. 19. & Sess. 25. c. 7.* dum statuit nulli omnino impofterum quovis colore quaesito eas concedendas, & hæctenus concessas non valere. Barbof. *jur. eccles. l. 3. c. 13. n. 10.* Zypaus *Jur. Pontif. l. 3. ad h. t. num. 1.* Lotter. *loc. cit. n. 16.* Unde, ut idem, vi hujus decreti Trid. evanuerunt memoratæ Decretales & ingentia DD. super expectativis commentaria. Porro ex hac abrogatione universali colligi posse, erigi non posse Canonicatum supernumerarium, ad futuram præbendam juxta declarat. S. Cong. Concil. ait Gonz. *ad reg. 8. in proam. §. 1. num. 64.* apud Barbof. & Zip. *LL. cit. de quo expressius quæst. seq. quamvis Garc. p. 1. c. 1. n. 5.* apud Zyp. *loc. cit.* dicat, non tolli per hoc decretum consuetudinem titulorum Canonicorum expectantium præbendam, uti nec consuetudinem immemorabilem, quæ eligi solent aliqui Canonici, quibus demum cedat præbenda primò vacatura, præsertim, si inter expectantes non senior assumi ex ordine, sed magis idoneus eligi soleat. Extendere se etiam hoc decretum ad reservationes mentales (quales dicebantur, dum Papa reservabat beneficium vel in specie vel in genere per Bullam vel Breve, ut personæ gratæ provideret, quam non exprimebat, sed in mente retinebat,) habent Barbof. & Zyp. *LL. cit.* & apud illos Gonz. *loc. cit. num. 67.* An verò se extendat ad indulta concessa Universitatibus & Collegiis, vide apud me, *loc. cit. quæst. 630. n. 2.* Illud certum, decretum illud absolute non removere Coadjutorias cum futura successione, etsi & hæc rationem expectativæ, seu talis gratiæ prævenientis vacationem habeant. Lotter. *l. 2. qu. 25. num. 6.* & patet ex quotidiana praxi Pontificum concedendi illas. De cætero indubitatum est, posse Papam ex plenitudine potestatis, quæ est supra Concilium, derogare hodieum adhuc isti decreto Concilii, utpote quæ nec in minimo per illud diminuta aut restricta. Lotter. *loc. cit. num. 4.* C. de Luca *ad Trid. d. 45. num. 1.* quin &, ut Lotter. *num. 3.* ea concessio habere potest summam honestatem fundatam in utilitate judicio Papæ expensa & æstimata ex meritis personæ, cui talis gratia fit. Quamvis in utenda hac plenitudine potestatis & jure suo post Tridentinum Pontifices admodum rati sint, ut etiam ab istiusmodi gratiis abstinerint. Lotter. *loc. cit. num. 5.* C. de Luca, *loc. cit.* vide me *loc. cit. p. 2. quæst. 631.* Ubi verò conceditur talis expectativa, ante acceptationem illius (quæ eget expressâ declaratione expectantis, nec aliter præsumitur,) nullum prorsus jus considerabile ei confert. Post acceptationem etiam jus aliud ei non quaritur præter jus simplex implorandi officium Judicis, secundum Gl. *in c. veniens. de renunc. v. renunciasse;* apud Lotter. *loc. cit. num. 76.* quòd jus non censetur præservatum ob modicum præjudicium, quod inde fit

F

exspe